Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2719
Quelle:
Copyright:

ptum et lectum ab ipsis *domino abbate laudante* receptum fuisse. Sermo uterque prolixus et bonae frugis est, quem si nossent PP. *Bollandiani*, dubio procul, quae hic adnotavimus, ad diem VII. kal. Septembr. T. V. *Act. SS. Mensis Aug.* p. 790. suis quoque de *Irenaeo* et *Abundio* Commentariis inseruissent.

DCCLI.

296 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 116. f. probe scriptus, rubricis distinctus, bonaeque notae foliis IV. praeviis sequentia continet Fragmenta: *Primo.* Sermonem de Dedicatione Ecclesiae, qui incipit: *Quoniam ad dedicationem presentis basilicę hodie deuote conuenistis* &c. Est is *Ivonis Carnotensis*, qui Seculum, quo Codex scriptus videtur, vivendo adtigit, habeturque in ejus *Opp. Paris.* per *Job. Frontonem* 1647. P. II. p. 269. f. sed in *Cod.* versus finem locus integer ab his verbis: *Hujus enim templi non manufacti tunc vera* &c. usque ad haec: *His igitur breuiter declaratis* &c. excidit. *Secundo.* Sermo inscriptus: *De sacramentis neophitorum*, cujus initium: *Quoniam populus ad fidem vocatus uisibilibus sacramentis* &c. itidem *Ivonis* P. II. p. 259. sed in *Cod.* non nisi ad verba: *quid agere deberent, admonuit dicens: Ite docete omnes gentes. predicate euangelium omni creature. Qui crediderit* &c. se porrigit. *Tertio.* Notitia brevis *Litaniarum* tam minorum quam majorum, cujus initium: *Letania grece latine dicitur rogatio* &c. Pars prior constat narratione *Gregorii Turonens. de Gestis Franc.* quam *Amalarius Fortunat.* in *Libri I. de Eccl. Offic. c.* 37. transtulit; posterior adhortatione Concilii *Aurelian.* quam habes in *Ivonis Decreto* P. IV. c. 40. paucis tamen mutatis. *Quarto.* Tractatio similis de *Pentecoste*, quae incipit: *Pentecostes grece latine dicitur quinquagesima dies. Nam a dominica pasce computantur quinquaginta dies usque in illam dominicam que est LXma* &c. Neque in *Ivone*, neque in aliis Scriptoribus *Off. Eccl.* qui ad manum sunt, invenio. *Quinto.* Tractatio similis *de Natali Christi*, quae incipit: *Vigilie que a pastoribus in sacrosancta nocte natalis domini custodiebantur* &c. Pars prior ex *Ordine Rom.* et *Alcuino de div. Off.* depromta est; Altera trium Missarum significatum, autore nescio quo, exponit. *Sexto.* Solvuntur binae Quaestiones. Prior: *utrum presbiteri excommunicati uel erethici possint dominicum corpus consecrare?* Altera: *si rectum sit quod campane cum sint res inanimatę a quibusdam crismantur?* Utraque ex sensu Catholicorum. *Septimo.* Prolixus *Hieronymi* locus ex Epistola *ad Furiam de Servanda Viduitate.* Incipit: *Iunguntur ordines nostri* &c. Extat *Opp.* edit. *Vallars.* T. I. *col.* 280. *Octavo.* Sermo inscriptus: *de Oratione dominica.* Initium: *Duo sunt karissimi que principaliter attendere debet humana circumspectio* &c. Est *Ivonis*